



Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotee.

Leroy, François

Pragae, 1666

Capvt XX. Duplici ratione ostenditur, quàm homini justo charæ esse
debeant præsentis vitæ tribulationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](#)

ta hæreditas tibi à Crucifixo delata. At grave, acerbum, insuetum, atrox, & intolerabile est malum quod patet. Illud igitur asperies complectenterisq; veluti pretiosum cimelium in amoris pignus, tibi privatim ac propriè à Christo moriente relictum. At te miseria, te ærumna premunt, mnæ, ut nemo quisquam perinde ac tu afflictus oppressingi videri possit? Est proinde jam quod tibi gratuler, ut cui tanquam dilecto præ cæteris (ut olim Josepho) portio major paternæ hæreditatis obvenerit.

Gen. 48.

Denique in omni afflictione, sic cum animo tuo statu: præsentis mali patientiam esse quandam velut anticipationem præsumptionemq; hæreditatis cœlestis: & hanc hæreditatis Crucifixi partem, spe reliqua brevi usurpans, lubens gaudensq; apprehende.

CAPUT XX.

*Duplici ratione ostenditur, quam homini
justo charæ esse debeant præsentis vita
tribulationes.*

Duas sibi affines meditationes illigamus in hoc capitulo, quæ pium hominem possint afflictum erigere, & ingentium malorum nonnihil demitigare acerbitudinem. Altera justos ipso considerat tanquam pretiosos lapides, quos afflictionum ac tribulationum malleo tundi, excuppi, & ratione conformari oporteat, quo demum evadant idonei ad construendam exornandam Jerusalēm cœlestem. Altera ipsas afflictiones ut cœli margaritas aspicit; quarum pretium mundus ignoret, sed ijs solis exploratum sit, quibus Deus incerta & occulta sapientia sua manifestaverit.

§. I.

Electos, ut preciosos lapides, tensionibus atq[ue] pressuris variè conformari & expoliri oportere.

EX Scriptura divina & Sanctorum Patrum consensu compertum est: homines Deo acceptos, vivis & electis lapidibus comparari, qui in hac vita tensionibus afflictionum & pressuris calamitatum cædendi, quadrandi & expoliandi sint, ut ex illis denique ecclœstis Jerosolymæ æterna ædificatio consurgat. Omisis alijs audiatur duntaxat Martyr Ignatius, ita ad Ephesios scribens: *JESUS Christus fundavit vos Epif: ad E-supra petram, cœu lapides electos, coaptatos in divinum Patris p[ro]f[ess]o[rum] adiscium, sublatos in altum per Christum pro nobis crucifixum, spiritu sancto utentes pro perpendiculari, fide subiectos, charitate elevatos à terra ad cœlum.* Hæc S. Ignatius.

Illud nunc consequenter adiicimus: si quos forte Deus peculiariter sibi dilectos, ad insignem aliquem & excellentem gloriae gradum destinet; hos velut lapillos preciosos divino suo diademate inserendos, vexationum cruciatumve scalpro, & multiplici tanquam affrictu attritu, studiosius scalpere & expolire consueisse.

S. Gregorius puellam quandam sanctam memorat *Rom. 4o. in mulam nomine, quæ sub idem tempus in Urbe sub Sanctis Evang. monialis habitu, juxta Ecclesiam B. MARIE cum alijs duabus morabatur: &c, ut idem ait, morum quidem divitijs plenam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Ipsa autem Romula, cum ad reliqua vita incommoda, molesta paralysis accessisset, annis pluribus in lectulo jacuit; patientia merito Deo in primis chara (ut varijs ecclœstibus signis sub ejus mortem apparuit) mortalibus autem, aut ignota, aut sanè despœcta. Sed latebat (inquit S. Gregorius) in sterquilinio margarita DEI. Sterquilinium hanc ipsam corruptibilitatem corporis appello; sterquilinum abjectionem pauper-*

tatis nomino. Assumpta est ergo margarita, que jacuerat in sterquilinio, & posita in cœlestis Regis ornamento. Jam in supernos cives emicat: jam inter ignitos illos lapides cum diadematis coruscat. Sic Magnus Gregorius, & ante illum S. Paulinus in ea quam suprà laudavi ad S. Vietricium epistola: ubi eum martyrem vivum appellans, rogat, ut vel sui esse memor in gloria, quando eum (ut ipse loquitur) pretiosam diademati suo margaritam Rex aeternus apribit.

Ex quibus id apparet quod dicebamus: quos Deus in mundo grandium malorum patientia exerceat, hos esse in celo instar margaritarum aut ardentium carbuncolorum, in aeterni Regis paludamento aut diademate collocentium: eóq; proinde mirum non esse, si eos crebris scalptorum ictibus exactius formari ac perpoliri necessit sit, quod puriores ac splendidiores, eóq; cui destinantur loco, digni, inventantur. Atq; híc, si placet, ad exemplar nostrum, Christum crucifixum aspiciamus: quem utique oportuit, & tanquam lapidem angularem pretiosum, & primum fundimentum civitatis sanctæ Jerusalem, sive malleorum ictibus tundi & quadrari, sive flagellorum affrictu plurimo levigari; & tanquam primæ notæ gemmam, solerti atque exquisito tormentorum attritu perpoliri: attritus enim est proprius scelerus nostra. Nam quod ipse Christus excellens quadam nobilissima margarita sit, ex Ambroso dicimus: Margarita enim (inquit) Christus est Dominus, quam negotiator ille dux in Evangelio, venditis omnibus rebus suis emere festinavit, & maluit omnes, quas habebat, seculi gemmas amittere, tamen ut unam Christi emeres margaritam.

*In festo S.
Lucie.*

§. 2.

Demonstremus nunc (quod erat alterum) ipsas etiam afflictiones & incomoda mortalis vitæ, ex divino iudicio Sanctorumq; sententia, non aliter quam ut cœli gemmas unio-

ditionesq; immensi pretij, aspicienda & acceptanda esse.
Id adeo (ne rei admodum necessariae ignari essemus) multis
divinitus luculentisq; documentis ostensum est.

Narrat Scriptor vitæ S. Dominici de fæmina re & no- L. 2. c. 14.
mine Bonâ, que Româ in turri juxta portam Lateranensem
solitariam degebat vitam, & sancto Patriarcha in animi sui
rebus libenter utebatur. Huic peccatum infederat malum adeo
fænum & pertinax, ut ei denique ubera tabo defluerent, &
innumeris horrendisq; vermis scaterent. Quam illa pe-
stem, cuius ne aspectum quidem ferrent alij, adeo non a-
versabatur, ut vermes, si qui exciderent, studiosè recolli-
gere, & in sinum suum reponere soleret: ut quorum pre-
mium ipsa probè cognitum haberet. Ergo cum ad eam die
quadam venisset S. Dominicus, & morbi mentione injectâ,
unum ex his vermis velut pro magno munere impetrasset,
etiam tamen lege, ut eum deinde fæminæ restitueret; vix ille
vermem in manus accepit, cum subito in gemmam elegan-
tissimam conversus est. Sed tamen restitutus ex promisso,
(licet id dissuaderent socij) & loco priori redditus, ad pri-
orem etiam formam rediit. Quanquam mox faustâ sancti
viri precatione, omni deterso tabo, & extinctis vermis,
piæ fæminæ peccatum sanitati restitutum est.

Affine quiddam longè antè S. Simeoni Stylitæ seniori Vit. c. 7. § 8.
contigisse legimus. Is enim cum ab improbo dæmons gra-
ven in femore plagam accepisset, idq; vulnus itidem pluri-
mis vermis scaturiret, eos subinde humi cadentes, ab An-
tonio discipulo (eo qui Sancti vitam & hæc ipsa scripto pro-
didit) serio jubebat recolligi, receptosq; restituebat in lo-
cum pristinum, dicens: *Manducate quod vobis Dominus de-
dit.* Evenit autem aliquando, ut quidam Saracenorum
Princeps Basilicus nomine, pietatis gratiâ ad Sancti colu-
mnam accederet, eodemq; tempore de Sancti corpore ver-
mis unus ad pedes ejus deflueret: quem ille correptum
ccccx cum

cum venerabundus admovisset oculis, repente adventus
commutatum esse in margaritam pretiosissimam: quo quidem
accepto tanquam divino munere, laetus ac majori pio
tatis studio inflammatus, abscessit.

P.3. Bis. c.6. Denique B. Lydwina post annos octo & triginta la-
guoris acerbissimi, ostendit Christus coronam pretiosissi-
mam, & mira gemmarum varietate ornatam, sed nequid
in orbem prorsus perfectam. Cumq; illa rogasset Domini-
num, ut se per quoscunque corpusculi sui cruciatus isti-
coronae percipienda aptaret, & quod sibi deesset, de merito-
rum suorum infinitate suppleret: haud longo intervallo ad
eam introgressi quidam milites, ur erant amentia & furore
agitati, innocentem Virginem per summam licentiam lu-
dibrij ac verberibus, miris indignisq; modis vexarunt. At
ecce tibi mox e cœlo consolator Angelus, qui afflictissima
Virgini denuntiet, eam coronam quam nuper imperfectam
viderit, usquequaque perfectam, & orbe toto absolutam
esse. Illa quippe ludibria & vulnera fuisse velut totidem
nobiles gemmas, quæ ad ejus coronæ absolutionem per-
L.3.c.74. Sc lionemque desiderabantur. Et simile quiddam S. Gertrudi à Christo-revelatum invenies, in ejus divinis Insinua-
nibus, non uno loco,

§. 3.

Nonnulla ex dictis patientie documenta.

His autem ita se habentibus: opusne pluribus est, ut intel-
ligatur, quam nobis imponat rerum istarum fallax spe-
cies, ut quam non ex vero de praesentis vita sive commodis
sive incommodis judicemus? Quotus enim quisque est,
qui ærumnarum, morborum, opprobriorum, & ejusmodi
rerum nōrit pretium; aut qui eas ut cœlestes lapillos & pre-
ciosas margaritas admet, & non potius ut duros silices se-
fugiat & aversetur?

At enim aliter in Crucifixi schola inter alios institutus erat, is quem suprà laudavi, avidus dolorum opprobrio-
rumq; venator Juniperus. Cui cùm contumelias ac probra
tum alijs tum fratres ingererent, quòd suis (ut dicitabant)
insanijs sese suumq; Ordinem in contemptum & invidiam
vocaret, sumptá ille in manus ac protensâ vestis suæ sim-
brìa; implete (ajebat lætabundus) implete laciniam hanc
pretiosis hisce margaritis: agitedum, neque dubitetis, quin
illas ego ut coeli gemmas & opes immarecessibiles acceptem.
Eadémq; mente ac cogitatione olim S. Martyr Ignatius in
epistola citata, ea vincula quæ pro Christi causâ à Syria Ro-
mam usque circumferret, spirituales margaritas appellavit.

Incipe igitur & tu aliquando in Crucifixi schola philo-
sophari, & ex tanti Magistri dictatis, alijs jam oculis adver-
sa hujus vita aspicere, eaq; si in te incurrerint, tum æquo a-
nimo, tum verò etiam libenti ac gaudenti acceptare. Nam
si quis profectò (quod per luxum & lasciviam fecisse fertur
nescio quis Romanus Imperator) si quis, inquam, regemmis
margaritisq; lapidaret: an non pretiosam hanc lapidatio-
nem gratulabundus exciperes, & adamantum carbunculo-
rumq; ictus, et si non nihil te pulsarent, non injuria loco,
sed beneficij duceres, quin etiam lapidibus hujusmodi (ut
in rem eandem venustè ajebat B. Juniperus) Parisijs Aureliā
usque lapidari velles? Atque (ut aliorum non absimilis me-
ditatio est) si densa de cœlo grando, aut horti tui amoenos
flores decusserit, aut contuderit vites, aut frugibus tuis ca-
lamitatem importaverit: principio ingemiscas ad eum ca-
sum: at si, inexpectatâ conversione, omnem istum nimbum
in summi pretij margaritas transijsse animadvertas, an non
illico exultes ad eam insperatam felicitatem, & quæcunque
fuit, jaçuram in lucro ponas? Simillimè igitur ex hujus
divinæ Philosophiæ scitis, adversis in rebus temetipsè con-
solabere: eas nimirum, si suo illas pretio æstimare noveri-
mus,

Wadding. Ann.
no 1210. m. 35.
5 1258. m. 11.

Cornel. Ro-
man. 8.
Vit. Balt. AL
var. c. 49.

mus, expetendas potius & in lucro esse deputandas, quod nihil nisi gemmæ sunt, quibus nos è cœlo D^eus appetitum maximè amans, cùm suos videtur percutere: neque refugiendos i^ctus lapidum, qui, ut graves & duri videantur, attamen sunt pretiosi adamantes, quibus nobis texatur, adorneturve corona gloriae, & diadema immortalitatis.

Explicit. pass: Joanne Thaulero verissimè dictum, & hīc à nobis varie expositum & inculcatum est: *Excellentissimum donum, quo D^eUS suos solet munericam amicos, crux est & afflictio.*

Atque ut his illud per occasionem attexam; quod forte legenti novum accidet: etiam tantò antè Beatum Job (cujus ex purulentis ulceribus vermes effuerbuisse, satis con-

Amb^{r.} in ps. R^{an}s est Sanctorum Patrum sensus, favente etiam Graco
textu Scripturæ) eos ipsos vermes è suo corpore defluentes,
Aug. serm. uti rem sibi charam ac pretiosam, in locum suum reponere,
223. de T^ep. solitum, non uno autore condisco. Id enim in primis si-
gnificant illa laudati Scriptoris Vita S. Simeonis, dum de
eo sic loquitur: *At ille ponebat eos sibi in ipso vulnero (vermes scilicet sibi redditos) ad similitudinem justi Job, dicens: M^oducate, &c.* Expressius autem antiquissimus Tertullianus
cap: 14. in libro de patientia his præclaris verbis: *Dissicabatur Mo-
lus (hoc est, diabolus) cum Job immundam ulceris sui re-
dantiam magnâ aquarumitate disstringeret; cùm erumpentis
bestiolas inde, in eosdem sp̄ecies & pastus fons minose carni-
dendo revocaret.* Pulchre autem, ludendo, inquit: quia
fortibus ac generosis animis, & præsertim in autorem fidet
& consummatorem J^esūM attentiū aspicientibus, quasi la-
dus sunt, quæ nos infirmi & imbecilles tanquam impa-
tientia & intoleranda refugimus, & ad quorum solum aspectum
aut cogitatum totis artibus inhorrescimus.

CAPUT